



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. VIII. De principiis & causis humanarum actionum, quæ sunt hominis propriæ. Ac primùm quidem de ijs in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

ordinem, vel naturæ nostræ conditionem, vel etiam Dei ipsius decretum inuitabili quadam cōsequutione eueniunt, cuiusmodi sæpe multa volentes, atque etiam spontanei facimus: veluti necessariò edimus, bibimus, somnum capimus, non tamen inuiti vel coacti, sed volentes & lubenter: necessariò Deus ipse bonus est, sapiens, iustus, misericors, non tamen inuitus vel coactus: sed volens. Necessaryò Christus mortuus est, non tamen inuitus. Philip. 2. v. 8. Necessaryò peccamus omnes, non tamen inuiti, sed sponte. Coactio enim voluntatis nostræ inclinationem nullam in eo esse vel propendere designat, quod fecimus, quam tamen Necessitas non excludit. Vnde qui sic ista confundunt, vt ea, quæ necessitate quadam à nobis fiunt, concludant eadem ab inuitis & coactis fieri, pessimè colligunt & hallucinantur. Nam à rebus diuersissimis, prorsusq; dissimilem definitionē & naturam & finem habentibus argumentantur. Id quod pulcherrimè varijs in locis docet Augustinus, neque scholastici ipsi diffitentur. Atque hi sunt tot tàmque variij modi, per quos tū intellectiōnis, tum voluntatis nostræ ratione agere dicimur. Pergamus ad reliqua.



CAP. VIII.

De principiis & causis humanarum actionum, quæ sunt hominis propriæ. Ac primùm quidem de ijs in genere.

EXPOSITIS varijs humanarum actionū generibus, de causis & principijs earum ordine nobis est dicendum. Ac quidē de ijs, quæ ab anime vegetantis vel sentientis facultate oriuntur tractare, nihil ad suscepti argumenti rationem pertinet. Neque enim illæ sunt actiones, quæ hominis propriæ dicuntur, de quibus certè solis hoc loco quærimus, neque in ijs ipsis propriè virtus vel vitium inest vel spectatur. Præclarè namque Aristoteles lib. 6. *ἠθικῶν* cap. 12. negat illius animæ partis, quæ & alendi & augendi corporis causa est, & à Græcis *σπρτικόν* appellatur, actionem esse vllam, quæ virtus nominetur, quatenus quidem virtus opponitur animi vitio & peccato. Et quod sæpe de illius facultatis munere agentes illius robur & vires integras appellamus virtutem: imbecillitatem autem, vitium, cū non satis ad suum munus implendum sunt vegetæ & validæ illius partis animi vires, certè in eo virtutis & vitij nomine abutimur, & à moribus vitæque institutione ad naturalium functionum operationes quadam metaphora virtutem & vitium traducimus: atque tunc *κοινή τις ἀρετὴ καὶ κνεία, ἐστὶ ἀνθρωπίνη φάρεται*. vt ait idem eiusdem operis libro 1. capit. 13. *καὶ τὸ σπρτικόν (ait) τὸ ἀνθρωπίνης ἀρετῆς ἀμοιεσθί πέφυκεν*. Itaque tunc virtus, quæ dicitur, est naturalis tantū facultatis integritas quædam & vis robusta ad suum munus exequendum. Atque hæc quemadmodum de alētis animæ facultate vera sunt, sic de sentientis quoque sunt intelligenda. Quamobrem restat, vt de actionum, quæ *λογικῆς* animi

animi partis in homine propriæ sunt, causis & principiis quæramus. In quo dici quidē neq; factis, neq; etiam verè mihi videtur, q̄scribit Arist. lib. 3 ἠθικῶν cap. 3. Ἐοικε δὲ αἰσχροππος εἶναι τὸν ἀνθρώπου, id est, *Videtur autem homo ipse esse principium huiusmodi actionum.* Quanquam enim sine quadam concurrente hominis actione non fiūt, (neque enim nisi ab homine Actiones humanæ verè denominantur) tamen huiusmodi actionum aliæ sunt, & eæ quidem verissimæ, quemadmodum docebimus, causæ præter hominem ipsum, nimirum bonarum actionum causa est, Deus ipse. Malarū Homo ipse, sæpe etiam Diabolus. Ut igitur in vniuersum, quænam sint hæc, intelligantur, sic ab hac distributione, tanquam iam superius probata & explicata, ordimur. Λογικὴς animi partis operatio

vel { Nudam contemplationem spectat, tanquam finem,
Actionem ipsam, & præter cognitionē, aliquem vsum atque operationem.

Contemplantis animi verissimum obiectum est τὰ δὲ vniuersale. finis autem, verum à falso distinguere. Quoniã verò Ethices, quã hoc loco tractamus, laus omnis in actione, nō autē in nuda & otiosa illa mētis agitatione & contemplatione versatur, de cōtemplantis animi actionibus earūque causis non agemus: sed de illa tantum animi λογικῆ parte, quæ in actione ipsa tota occupatur. Hæc ἐν τοῖς κατὰ εἰδικὰ, id est, in singularibus rebus versatur. Ergo in ijs voluntas illud persequitur, quod ratio quodam iudicio bonum esse videt & dicit. Quod autem

in iisdem rebus malū esse ratio percipit, id eadē voluntas fugit & auersatur. Ex quo fit, vt in his actionibus ratio, atque ea quidem recta, præcedere tanquā lux debeat: & voluntas siue appetitio sequi, vt rectè fiant. Sin minus, erit tota actio nostra mala & perturbata: Nimirum siue ratio non præcesserit: siue quod bonum est, illa non rectè viderit: siue etiam voluntas quod rectè ratio præscribit, vitioso aliquo affectu occupata amplexa non sit. Bonum autem quod & ratio dictare, & voluntas amplecti debet, hoc loco honestum appellamus: non autem suaue vel utile & commodum. Nam vt piè, & benè & sanctè viuamus (quò certè omnis Ethicæ, imprimis autem Christianæ, tendit) non voluptatis corporis ratio habenda nobis est: non item vtilitatis nostræ, cum vtraque sæpissimè magno ad honestè viuendum impedimento sit, quicquid Epicurei homines, vel Stoici Philosophi contra disputent. Sed verbum Dei sacrosanctum ostēdit illud, quod dicimus, esse verū. Ac quidem voluptatem carnis obstare vitæ sanctitati consecranda tota scriptura docet, quæ toties concupiscentiis carnis nobis renuntiandum esse, & valedicendum præcipit. Luc. 21. v. 34. 1. Ioan. 2. v. 25. 16. Tit. 2. v. 12. Rom. 13. v. 14. Commoda vero quæstusque nobis sæpe quoque ad veram vitæ sanctitatem esse impedimento eosque damnosos eadem scriptura docet aperitissimè, 1. Timoth. 6. v. 9. 1. Corinth. 13. v. 5. Quæ obrem de ijs actionibus nobis sermo est, in quibus voluntas nostra non id, quod carni corporisque sensibus iucundum est, persequitur:
non

non item id, quod opibus rei que & familiae nostrae augendae commodum & aptum videri potest: sed id solum expetit, quod pium, quodque sanctum est, & vulgò honestum nominatur. Est autem in nobis eadem numero, quemadmodum loquuntur, voluntas, qua suaue, qua vtile, & qua honestum expetimus: quanquam eam appetitionem, qua suaue quid sensibus cupimus, Philosophi appetitum naturalem: Medici ferè appetentiam vocare solent, qualis est appetentia potus vel cibi, aliarumque corporis voluptatum. Sed nos in homine unam tantum numero animam, unamque voluntatem constituimus, & ex Dei verbo esse didicimus: à qua voluntate una & eadem essentia, nec eadem ratione, id est eadem de causa, nec iisdem instrumentis, nec ad eundem finem suaui, vtilia, & honesta expeti atque desiderari verum est. Praeclare enim Bernardus in paruis sermonibus. *Rationis, ait, est discernere inter bonum & malum, verum & falsum, commodum & incommodum: in quibus discernendis tanta modo caligine cecatur, ut saepe in contrarium ducat, iudicium recipiens malum pro bono, falsum pro vero, noxium pro commodo, & è conuerso.* Ergo quae sunt suaui & iucunda sensibus ratio etiam iudicat in homine, & voluntas cupit ad vitae huius corporeae, quam in hoc mundo viuimus, tum conservationem, tum etiam delectationem. Hic appetitus nobis etiam cum brutis communis est. Quae sunt vtilia haec eadem voluntas nostra desiderat, ad maiorem facilioremque vitae huius copiam comparandam, nequid nobis in posterum desit. Hoc desiderium, atque tam sagax

cogitatio solius hominis propria est, quia ratiocinationis vim & animi iudiciū requirit, & proficit de futuro, quo animi iudicio carēt animātia bruta. Nā quod de formicis excipi potest, eas etiā eadē de futuro prospicientia prāditas esse, diuersū ab hominis cura ex eo esse intelligitur, quōd homo ratione & cogitatione cōgerit necessaria: formicæ verò solo sensu impulsæ & voluptate gustus, qua titillantur, dum grana accumulāt. Itaque nulla futuri cura tanguntur: sed solo voluptatis corporeæ sensu. Quæ sunt autem honesta, expetit quōque eadē hæc voluntas nostra, vt nos nostrāsque actiones præscriptæ à diuina iustitia regulæ conformes reddat, ac si fieri potest, adæquet. Quæ certè est propria hominis, præsertim autem Christiani, actio. Ergo cū boni significatio sit triplex,

vel vt {
 Suaue
 Vtile
 Honestum denotet.

In hoc argumento Bonum appellamus, quod est honestum. Id quod nobis in his actionibus proponimus persequendum. Et quod à quibusdam tam contentiosè defenditur, Voluntatis nostræ & finem & obiectum esse bonum: quemadmodum intellectiois nostræ scopus est Verum: atque idem esse in voluntate persequutionem & fugam: quod est in intellectu affirmatio & negatio, ambiguum est. Est enim bonum duplex, nimirū Cōditionis siue naturæ: & Electionis siue Moris, quemadmodum illi ipsi loquuntur. Bonū conditionis est, quod natura hæc nostra qualis nunc est, requirit, qualia sunt

sunt omnia quæ ad corporis nostri vitam hanc, delectabilemque illius statum pertinent. Hoc idem & plantæ quodammodo, & bruta quoque appetunt. Eo enim sensu vulgò dicitur, & rectè quidem, Omnia bonum expetunt. Bonum autem electionis est, quod soli homines agnoscere atque etiã desiderare possunt, quatenus illi sunt λογικοί, & à brutis animalibus toto genere dissimiles. Est autem Electionis bonum, per quod vita conditioque nostra ad Dei imaginem reformatur, & ad diuinæ iustitiæ legem & normam præscriptam, id est, ad summum & perfectissimum suum statum & bonum, quàmproximè fieri potest, reuocatur & accedit. Ergo bonum conditionis naturam hanc nostram, qualis nunc est, & quemadmodum deprauata, sustentat & fouet tamẽ: bonum autem electionis, naturam hanc nostram, quæ vitiosa est in pristinum iustitiæ, quam primùm habuit, gradum, reformare & reponere tentat atque conatur. Quod vt fiat, honesta præscribit agenda: atque illa honesta λογική in nobis animæ pars ea voluntate, quam à Deo specialiter præter bruta habet, facere gestit & appetit. Est autem honestum ἀρετήν siue actio omnis quæ ad præscriptam nobis à diuina iustitia normam & quoad finem ipsam actionis, & quoad media agendi quadrat, atque conformis est ac consentanea. Quia verò in iis omnibus, quæ & ad vitæ huius tuitionem & ad opum nostrarum rationem pertinent, Dominus certa à nobis præcepta voluit obseruari, fit, vt honestas in iis etiam rebus sit, quæ sunt suaues sensibus, qualis est virtus illa, quæ tẽpe-

rātia dicitur, quæ corporis voluptates moderatur: & in ijs etiam, quæ ad opes augēdas spectāt, qualis iustitia, quæ suum cuique reddit: non autē quatenus eæ res suaues corpus salubriter alunt, hoc enim est proprium medicorū: neque quatenus eæ opes sunt res quædā naturales, hoc enim Physicorū propriū argumētum est: sed quaten⁹ vtrisque certa quædā diuinæ legis iustitiæ pars præscripta & obseruanda nobis est, eatenus, inquam, etiā in ijs honestum versatur. Ergo cū dicitur volūtas nostra omnis bonū expetere, de bono electionis vel honesto omnino & ἀπλῶς intelligi non debet: sed de bono in genere, id est, siue de suauī, siue de vtili, siue de honesto. Hic autē querimus de bono electionis siue honesto, quod voluntas nostra in ijs actionibus, quæ hominis propriæ sunt & ad hanc disputationem spectant, sibi proponit: A quo fit, vt actiones nostræ vel honestæ, vel turpes dicantur, siue bonæ, siue malæ, quod perinde est. Actionum igitur huiusmodi, id est, honestarum & turpiū, quæ ab hominibus fiunt, causas & principia querimus. Ac turpium quidem & malarum, vt summatim dicatur, causa ipsissima est homo ipse propter corruptum tum iudicij lumen, tū voluntatis appetitum. Rom. 3. v. 14. Honestarum autem & bonarum, non item. Quod ex sequenti disputatione melius apparebit. Quatuor autem huiusmodi actionum causæ spectari à nobis in vniuersum possunt,

nimirum { Efficiens
Finis
Materia
Forma.
De qui-

De quibus singulis est ordine dicendū, si prius
 Quid sit bona siue honesta actio, Quid mala
 siue turpis, breuiter exposuerimus.



CAP. IX.

Actio bona siue honesta, quæ dicenda:
 Quæ item mala & turpis.

DIFFICILIS sanè & ardua quæstio
 est, Quid sit honesta, siue sancta, siue
 bona (tot enim nominibus appellari
 vna & eadē potest actio) quidve tur
 pis. Nam aliter prophani philosophi, qui vitæ
 honestè instituendæ præcepta tradidere: aliter
 Nomothetæ & Iurisconsulti, qui honestas le
 ges hominibus posuere: aliter denique veri
 Christianique Theologi, qui quid honestū siue
 sanctum sit: quid item turpe & profanum ex
 plicarunt: adeo vt propter tam varias ac sæpe si
 bi ipsis contrarias de eadem re sententias qui
 dam honestum & turpe non naturâ, sed ho
 minum tantum opinione definiri & constare
 censerent: atque posse quemque prout animo
 libuerit hoc vel illud esse honestum & turpe si
 bi statuere. Impia certè sententia, quanquam
 à quibusdam scholasticis vt est lib. 2. sententia.
 Distinct. 39. defensa, per quam omne iusti atq;
 iniusti, honesti & inhonesti discrimen & dele
 ctus tollitur. Nam si ipsius conscientie nostræ
 vox à nobis exaudiatur, itémque eorum, qui in
 ter profanos ipsos saniores fuerunt, iudicia spe
 ctentur, turpe & honestum quod propriè est,